Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ne debile conspiciet ad diuinum ministerium eligere. quia quem mundus pro fastu ela-
tionis spernit. hunc deus propter deuotionem humilitatis adquirit. Interpretatur
enim mifiboseth de ore ignominia: sic qui loquela et presentia superbia mundi
despicitur. dei dono utilis ad spiritale ministerium in ecclesia apparebit. Quod autem est quod
quod dauid sybam seruum saul de stirpe saul quaeritans. eo reuelante mifiboseth
inuenit. nisi quod redemptor noster electorum numerum discutiendo inter eos qui contemptui
mundum reliquerunt ad se uenire fecit. Syba enim egressus uenit interpretatur.
interrogatus quoque syba a rege mifiboseth filium ionathe in domo machir filii
amiel in lodobar esse respondit. Quae res presenti expositioni bene conue-
nit. Interpretatur enim machyr uendens de infirmitate. amyel populus eius deus.
lodobar ipse uerbum. Denique dauid noster contemptibilis huius mundi et ea
quae non sunt eligens ut ea quae sunt destruat. eos uendibiles mundo
et infirmitate constitutos reperiendo populos suo dignos uerbo predi-
cationis adsciuit. eisque regium honorem in filios habere concessit. Unde
et dauid agros saul ad seruitia mysiboseth donans ipsum mifiboseth con-
uiuam suum super mensam suam simul cum filiis suis esse precepit. quia mediatoris
nostri dei gratia quae secundum mariae uocem deposuit potentes de sede et exal-
tauit humiles. et iuxta prophetiam annae suscitat de puluere egenum
et de stercore erigit pauperem ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat
contemptibiles personas de mundo auferens possessores uirtutum efficit.
et scientia spiritali super mensam scripturarum sacrarum cottidie secum reficit. Unde
euenit ut tales sobolem gignant. qui interpretatur mycha. Mycha enim quis
est iste latine resonat. quia frequenter in admirationem populi tales ue-
niunt qui nuper de despectu mundi ablati. gloriosi in ecclesia dei dono
parebunt.

Cap. 10.

Factum est autem post haec ut moreretur rex filiorum ammon et regnaret
anon ammon filius fili eius pro eo. dixitque dauid. faciam misericordiam cum anon ammon filio naas
sicut fecit pater eius mecum misericordiam et reliqua. Quando fugit dauid a facie achys
regis geth uenit ad naas regem ammon. qui fecit cum eo misericordiam multa
impertiens ei bona. Iste naas itaque uenit in spelunca modolla. ubi